

ib.

BREVI TRACTATIONE
DE
IVRE SINGVLORVM
PRAEMISSA
LECTIONES ACADEMICAS
INSTANTE HOC SEMESTRI
SVB SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS HABENDAS
ANNVNCIAT
ERNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL
I. V. D.



3.

HALAE MDCCCLXXIX.
RECVSA LITTERIS HENDELIANIS.

XX

1. Dicitur deus

2. Miserere filii vestri

3. Quia misericordia eius

4. Misericordia eius aeternitatem

5. Misericordia eius aeternitatem

6. Misericordia eius aeternitatem

7. Misericordia eius aeternitatem

8. Misericordia eius aeternitatem

9. Misericordia eius aeternitatem

10. Misericordia eius aeternitatem

11. Misericordia eius aeternitatem

12. Misericordia eius aeternitatem

13. Misericordia eius aeternitatem

14. Misericordia eius aeternitatem

15. Misericordia eius aeternitatem

16. Misericordia eius aeternitatem

17. Misericordia eius aeternitatem

18. Misericordia eius aeternitatem

19. Misericordia eius aeternitatem

20. Misericordia eius aeternitatem

21. Misericordia eius aeternitatem

22. Misericordia eius aeternitatem

23. Misericordia eius aeternitatem

24. Misericordia eius aeternitatem

25. Misericordia eius aeternitatem

26. Misericordia eius aeternitatem

27. Misericordia eius aeternitatem

28. Misericordia eius aeternitatem

29. Misericordia eius aeternitatem

30. Misericordia eius aeternitatem

31. Misericordia eius aeternitatem

32. Misericordia eius aeternitatem

33. Misericordia eius aeternitatem

34. Misericordia eius aeternitatem

35. Misericordia eius aeternitatem

36. Misericordia eius aeternitatem

37. Misericordia eius aeternitatem

38. Misericordia eius aeternitatem

39. Misericordia eius aeternitatem

40. Misericordia eius aeternitatem



DE
IVRE SINGVLORVM.

§. I.

Si grave dici meretur ac dignum istud argumentum, in quo ad quamplurimorum salutem et emolumentum maximum momentum positum est, nescio, quod aliud doctrinae de iure singulorum possit anteferri. Etenim ex hac non vniici hominis, sed integrarum societatum, non vnius alteriusve tantum societatis, sed innumerarum, quotquot exstant, non inter sartores tantum sutorumque initiarum consociationum, sed maximarum rerumpublicarum felicitas pendet. Non futile itaque ac leve argumentum, cum de iure singulorum agere decreverim, elegisse, mihi persuadeo. Sed an necessarium quoque et doctissimorum virorum scriptis non-

dum ad nauseam usque tractatum et illustratum? Ita quidem censui, postquam ea, quae in hanc rem tradiderunt Perill. ab IK-STATT *Diff. de fundam. atque histor. except. a iur. mai. et Ill. ab OSTERHAVSEN de iure singulorum*, classici in hoc argumento auctores, sedulo accurose perlegeram, cum priorem quaestionis tenetum politicae instar rem habere, et quando prudentia suadeat, ut unanimibus votis conclusa adstringantur, tractare, alterum vero casus ad ius singulorum pertinentes leviori brachio ac obscuriuscule proponere deprehenderem. Sed an par quoque viribus et ingenio? Haec molestior est quaestio; quoniam infirmitatis, quam omnino modo quivis tegere studet, confessionem reluctant extorquet. Faretur vero, quod, nisi confiterer, res ipsa loqueretur. Interim hoc solatii habeo, quod et consitenti, et inexercitato adhuc, facilius indulgetur. Hac spe fatus, continuo maxima cum fiducia, tamquam egregie acturus, ad rem ipsam progredior.

§. 2.

Posita societate ponitur imperium. Huic omnes subsunt socii; nam omnes in commune societatis consilium conspirarunt: huic ex iuris necessitate parent; nam pacto coniunxerunt studia. Nemo inde impune detrectat ea, quae in commune aut concluduntur aut auctoritate publica iubentur. Legibus temperatur civitas; obtemperandum: tributa imperantur; conferendum: ad arma evocantur cives; concurrendum: carnis interdicitur; panis manducandus et olera: foras prodire vetatur; domi latitandum, aut, si celebritas delestat, e fenestris caput exferendum. At autem non ad omnia patet haec societatis potestas, sed pro finium, ob quos coitum est, discrimine, aut pluribus aut paucioribus in rebus iura describit coniunctio. Inde conflatur notio quaedam iurium sociorum, quae ab imperio societatis sunt exempta, quae dicuntur *iura singulorum*.

Largior

Largior est haec definitio, quam vulgo circumfertur. Consuevere enim plerumque totam rem ad eam tantum quaestionem referre: quando per vota plurima non decidatur? Inde cum suffragia iacent sociorum, quibus iura singulorum tribuunt, palam socios, inter quos imperium divisum est, siveque societate aequali iunctos, innuant. Vocant igitur *iura singulorum*, iura sociorum in societate aequali, quae ab imperio societatis libera sunt. Sic III. NETTEBLAT in *Syst. Elem. univ. Iur. nat. ab a. 1749. Tom. 2. §. 542. in fin.* iuris singulorum mentionem injicit, vbi quaestionem: quomodo conclusa formanda? tractat. Sic quoque III. ab OSTERHAVSEN *Diss. de iure singulorum S. 1. §. 14.* *iura singulorum supponere*, inquit, *rei publicae statum, ubi dantur communia quedam negotia, quae praevia communis consultatione, ab omnibus coniunctim, tamquam ab uno corpore, expedienda sunt.* Vnde etiam exceptiones a iure maiorum dicuntur a Perill. ab IKSTATT *Diss. de fundam. atque hist. Except. a iur. mai.* At enim vero cum apud animum persuasum mihi habeam, esse etiam in societatibus inaequalibus, veluti in republica, cui Rex liberrime imperat, iura quaedam eorum sociorum adeo, qui in nullam imperii partem veniunt, imperio societatis non subiecta, et haec nomine careant: cur non his quoque par habeatur honos, ut iura singulorum nominentur? Non me fugit, ICtos tradere multa de *iure quaeſito civium*, quod subditis e regula auferri posse, siveque imperio civili subiectum esse, negant. At hoc a nostro iure singulorum remotissime distat, cum illud extra ordinem tamen imperio subsit, hoc autem numquam sub principiis ius ditionemque concedat. Per iura imperio societatis non subiecta felicissime ex mente ICtorum describi autumo iura singulorum, cum, qui de iis disputant, omnes ideo id faciant, ut in iis maiorum votorum in suffragiis ineundis rationem non habendam esse, demonstrent. Quid vero hoc aliud, quam iura singulorum ei, quod per votorum pluralitatem exercetur, imperio scilicet, non subesse? Coniecturis adsequi oportuit mentem ICtorum, cum qui de subministranda iuriū nostrorum logica definitione cogitaverit, inveniam fere neminem. E. g. supra excitatus III. ab OSTERHAVSEN l. c. §. 14. haec habet: *iura singulorum esse singulis reipublicae membris sua iura peculiaria, legitime quaeſita, atque adeo sua natura ita comparata, ut singulis tantum, non universis facultas de iis disponendi competat.* In reliquis ne descriptiones quidem reperio.

§. 3.

E fine societatis aestimanda sunt iura singulorum, adeo ut, quaecunque obligatio e fine societatis proficitur, ea ius singulorum sociorum non violat, reliquae secus; et sicut societas differunt, ita etiam iura singulorum diversa sunt, ita, ut, quod in una societate ius singulorum non est, in altera esse possit. Obligatio enim sociorum ex pacto eorum derivanda est, iam cum societati se addicerent socii, hoc ipso in finem eius subscripsere omnes, nec in quidquam praeterea. Inde si e fine societatis obligatio quaedam ducitur, subest haec imperio societatis, quippe quod est ius universorum, cogendi singulos socios, ut faciant id, quod sponderunt; reliquae non subsunt. Itaque ibi nullum adest ius singulorum, quod laedi possit, hic adest.

Cum autem e fine societatis dijudicentur iura singulorum, fines autem pro societatum discrimine differant, sequitur, ut prout societas ipsae dissident, ita et iura singulorum sint dissimilia.

Ita visum fait HVG. GROT. de I. B. et P. I. 2. c. 5. §. 17. vbi, *in iis rebus, inquit, ob quas consociatio quaeque instituta est, universitas, et eius pars maior nomine universitatis, obligant singulos, qui sunt in societate.* In eamdem sententiam loquitur Ill. ab OSTERHAVSEN l. c. §. 18. dum, *qui libere, inquit, sese consociarunt, non ulterius societatis sive universitatis arbitrio sese subiecisse videntur, quam quoque communis omnium salus id efflagitavit.*

§. 4.

Ad quascunque obligationes nemo socius pacto se adstringere potuit, eae in nulla societate subesse possunt, sicque in omni societate sunt, contra ius singulorum. Quod enim in se repugnans est, non existere tuto concluditur. Inde, de quo pactis trans-

transfigi plane nequit, id etiam pacto socius societati non promisisse, certo censendus est. Iam cum ad ea, quae socius non stipulatus est, non pateat imperium societatis (*§. praec.*), oportet omnia, quae in pactis esse nequeunt, ab imperio societatis cuiusvis esse exempta, sive continere ius quoddam singulorum.

§. 5.

Quae ius naturae in illicitis ponit, quaeve ad conscientiam cuiusvis referentur et proprium in fide sacra iudicium, in ea nullius societatis imperium cadit, sive haec referuntur ad iura singulorum. Ad illicita enim nemo pactis se adstringere potest, inde cum ea, de quibus pactis conveniri nequit, imperio societatis non subsint (§. praec.*) nec ad illicita hoc imperium extenditur. Cum vero conscientia et fides ad intellectum pertineant, in hunc autem rationes possint omnia, vis et coactio nihil, sequitur, ut conscientiae nec pactis nec legibus frena possint injici. Inde, cum ab omni pactorum vinculo exenta sit sua cuiusque conscientia, imperii quoque societatis impatiens est (*§. praec.*).*

Facinoribus ac criminibus nemo facile patrocinabitur. Quod vero ad conscientiae libertatem attinet, hanc e republica bene ordinata prescribit *Perill. ab IUSTITIA, Vir acutissimus Diff. de causis relig. iur. suffrag. mai. in comit. I. R. G. §. 12-14.* vt omnium malorum somitem et materiam. Respondemus huic primo generatim, a malis, quae a sentiendi cuiusvis arbitrio in rem publicam redundare possint, non duci validum ad illam eliminandam argumentum, cum dentur quoque mala necessaria. Quapropter, cum, fieri plane non posse, probaverimus, ut conscientia regimini pareat, etiamsi hoc reipublicae funestum, posset tamen esse malum inevitabile. Deinde vero nego quoque, tam mali ominis esse sentiendi libertatem, et, ut hoc pateat, praeprimis de libertatis conscientiae genuina notione transfigendum existimo. Viro Perillustri c. l. §. 12. est illa, actionum quarumvis religiosarum, tam internarum, quam externarum licentia. Ego contra,

contra, per eamdem nil, nisi actionum religiosarum internarum quarum vis, externarum autem earum tantum, quas *omissivas* vocant, libertatem, intelligo. Quae enim quisque pectore clausa habet, ea extus quoque prodire, et palam praedicari, necessarium non existimo. Inde, si suum cuivis iudicium relinquitur, sed strepitibus tantum, publicis declamationibus et turbis illi interdicitur, id legitime fieri, largior, sed quia menti et intellectui ipsi hic nihil infertur violentiae, cum actiones internae absque externis esse possint, hic libertatem conscientiae adesse et circumscribi, nego. Iam itaque, hoc stabilito, ita ratiocinor, actiones internae nullas extrinsecus mutationes producunt, inde nullo modo tranquilitatem publicam et reliquorum civium salutem laedere valent; actiones externae autem omissivae itidem non possunt refragari reipublicae fini, cum etiam absque illa religione consistere possit civitas. E natura et essentia reipublicae iam omnia iura omnesque obligationes civis cuiusque patent, ut inde alio principio cognoscendi non egeat respublica. Valida inde consequentia: si religio omnis a civitate abesse potest, actiones omissivas in cultu divino non posse reipublicae officere. Nec appetet, qua fronte libertas conscientiae maximorum in republica malorum origo et mater dici possit, in tam illustri experientiae contrariae luce. Nonne quotidie videmus, nullibi felicius florescere civitates, quam ibi, vbi fidem sibi suam habere cuique permittitur? Ibi fervens civium in rempublicam, ut indulgentem matrem, studium, ibi ad quosvis laudabiles conatus animus, ibi mutua civium inter se fiducia, ibi litterarum flos et honor, ibi commerciorum faustissima felicitas! Quantum desiderantur haec omnia, vbi formulis quibusdam ingenia, tamquam glebae, adscribuntur.

§. 5.

In reliquis causis distinguendum est inter societas inaequales et aequales. In illis iura singulorum praeter ea, quae s. praec. excitavimus, non dantur, sed eorum loco obtinent iura subditorum in sociate quae sita; vbi distinguendum iterum, an societas iudici subfit, an non. Si prius, socius, quotiescumque ius quae situm sibi adimi credit,

eredit, potest ad iudicis tribunal vocare eum, qui est superior societatis; si posterius, subditus ius suum quae situm sibi adimi queri nequit, nisi palam seu quod dicunt, notorie, quae fini societatis non convenient, imperet superior, quo factio potest denegare obsequium subditus, quod dicitur subducio. Cum enim in societate inaequali quidam sociorum sint superiores, quidam subditi, et hi in illos eorum, quae ad salutem et finem societatis spectant, arbitrium transtulerint, sequitur, ut quocunque illi pro auctoritate iusserint, e re et fine societatis esse, existimandum sit. Inde, cum in iis, quae ad finem societatis pertinent, socii sine exceptione imperio subsint, patet, in societate inaequali cessare iura singulorum. Cum tamen superiores ea, quae in societate aequali imperio subiecta non fuissent, e regula absque necessitate sub imperium suum vocare, religioni sibi ducere debeant, sed id illis urgente saltim necessitate integrum sit: sequitur, ut iura singulorum in societate inaequali praeter ea, quae §. praeced. in conspectum data, in societate inaequali sint iura subditorum quae sita. Deinceps licet ex pacto penes superiores rerum in publicum profutarum arbitrium sit, nihilominus tamen hoc arbitrio abuti, et absque necessitate iura quae sita subditorum laedere, ipsis non permisum. Inde si laudentes et laesi eidem iudici subiecti, dubium non est, quin ad hunc res deferri queat. Si vero consociationis corpus nullius iurisdictioni paret, nemini quoque dijudicandi facultas competit, an recte, an perperam egerint superiores. At vero si manifestissimum sit, eos iustitiam eiurasse, animo infesto tantum obtemperare, salutem et finem societatis susque deque habere, posse sibi subditos suum arbitrium, quod in superiores contulerant, resumere, et obedientiam detractere, ne-
mo inficiabatur.

Societas aequales nuncupo in quibus omnibus sociis paria iura circa negotia societatis competunt, *inaequales* autem, vbi paria sociorum iura non sunt. In his vel iura societatis in unum tantum collata sunt, vel in plures. Ibi una tantum est societas, hic autem iterum in duas alias

societas abit societas. Vna enim est societas eorum, qui iura societatis, in se collata, exercent, et haec est societas aequalis, cum omnes pari iure concurrant. Altera autem societas est tota consociatio, qua est societas inaequalis, cum ii, qui iura sua in reliquos contulerunt, circa negotia societatis pari iure non amplius gandeant. In hac posteriori itaque societate tam ea, quae infra de societatibus inaequalibus, quam ea, quae de aequalibus tradentur, principia, diverso respectu applicari possunt. Caeterum me, cum superiores et subditos nomino, ideo non de rebus publicis tantum loqui, quivis facile intelligit. Licet, vulgo hos terminos in civitatibus tantum receptos esse, noverim, nescio tamen, cur iisdem in aliis quoque societatibus locus esse non debeat, cum res in his eadem sit, quam in rebus publicis deprehendimus.

§. 7.

In societatibus aequalibus, quae ex pluribus, quam duobus, constant, iura singulorum non subesse imperio societatis, et maiorum votorum pondere nibil de iis statui, siveque in illis Discessione in partes legitime fieri, idem est, quapropter in his societatibus maiorum votorum numero non concluditur, sed in partesiri potest, ubi de iuribus singulorum oritur quaestio. Nam imperium in societatibus aequalibus exercetur per conclusa societatis, haec autem per plurima fiunt suffragia, inde non subesse imperio, et maioribus votis non subjici, idem est.

§. 8.

Si de implenda societatis obligatione perfecta agitur, in consiliis ea de re conferendis, maiora vincunt, si vero obligatione imperfecta fungi vult societas, ubi ea de re consultatur, in partes discedi potest. In priori enim casu, nisi officio satisfaceret societas: aut remediis violentis, si iudex deest, aut diem dicendo societati, si iudicis est copia, aggredieretur societatem is, cui illa officia sua debet. Inde multiplex caperet e neglectis his officiis detrimentum. Quare salus societatis requirit, ut communi ope a sociis ad haec officia

officia obeunda concurratur. Inde hic maiora vincunt, (§ 3. et 7.). Quando vero res ad humanitatem tantum redit, omisso officio, nemo potest mediis vllis societatem cogere. Inde nullum societati negligetu incommodum. Quapropter nec salus societatis requirit, vt hic socii ad exsequendam obligationem cooriantur. Quantum itaque et an quisque conferre velit, iuris singulorum est.

§. 9.

Si societatis salus requirit quidem, vt aliquid fiat, imparia tamen et inaequalia ad rem subsidia sociorum, plerique suffragiis absque necessitate exigunt, ius singulorum adest, et recte ab iis, in quos iniquior est plerorumque sententia, in partes disceditur. Nam, cum omnes eodem pacto in societatem coierint, ratio non est, cur unus alterve se ad plura obligasse, indeque durioris conditionis esse debeat, quam reliqui. Inde alia exigi nequit, quam aequalis contributio, et ad id, quod aequalem cuiusvis partem egreditur, non patet pactum sociorum. Quare cum praeterea nullam vrgere necessitatem stabiliverimus, quae impari onere socios ad commune bonum conspirare iubebat: nemo ne latum quidem vnguem reliquis cedere tenetur, et imperio societatis non subest.

Sic si e communi utilitate est, cogi a sociis 100. thalerorum summam, & de hoc nulla plane controversia est, vociferantur tamen plerique, se omnes non valere aequa pecunia, inde conveniens esse et aequum, vt Titius et Caius duplo maiorem partem adferant, quam a se, reliquis, dari possit. Hoc casu, cum saluti communi melius non prospiciatur, si Titius et Caius duplum solvant, quam si, ita vt reliqui, simplum conferant, et pacto sociorum nemo ad plus, quam ratam suam in promovendo societatis commodo obligaverit, Titium et Caium ne nummo quidem plus, quam reliquos, pendere teneri, puto.

§. IO.

Si societatis salus quidquam suaserit, fieri tamen id nequit, nisi cum inaequali sociorum dispendio, aut damnum iniquum socio resarcendum, aut ipsi ea proportione, qua ipsius damnum reliquorum dispendia superat, tanto plura, in ineundis ea de resuffragiis, vota indulgenda, quo facto subjicitur votorum maiori parte, nec ad ius singulorum provocare potest. Quodsi enim et socio prospicitur, et saluti communi simul consulitur, melius sine dubio ac praestantius est, quam si socii tantum ratio habetur, salus autem societatis desereretur. Inde, cum prius fiat eo, quem posuimus, casu, posterius autem accideret, si socius, rejecta omni damni iniqui compensandi via, tempori non serviret, et saluti communi deesset, patet eo, quem finximus, casu, socium subiicere se debere societatis imperio, indeque ius singulorum cefare.

Pone, iam inde a longissimo tempore infestissimas de vinea quadam, ad societatem pertinente, in iudiciis agitatas esse lites, societatem sumtibus fere exhaustam & propugnanda iuri incapacem factam, nec tamen adhuc finem male ominatae caussae sperandum. Inde congreguntur socii, liti renunciandum esse plurimi censent, obstant pauciores eo, quo se triplo vel quadruplo maiori damno, per hanc caussae omissionem, adfectum iri, dicitant, cum pars iuris, quae reliquis simpla in vinea esset, ipsis tripla vel quadrupla competeteret. Quid hic consilii capiendum, cum prosequi litem praesentissima societatis ruina foret? Age! compensentur pecunia renitentibus tripli sui duae partes aut quadrupli tres. Quo facto reliquis erunt iure aequales. Aut tribuantur iis, qui triplo gaudent, tria vota, & iis, quadruplum est, quatuor, cum reliquorum cuius vnum tantum indulsum sit. Sic itidem nemine erunt deteriores. Quare tum, quod per maiora conuentum fuerit, ipsis iniuriam non inferre, habeo persuasissimum.

§. II.

§. II.

Ad impensas societatis necessarias et utiles a sociis per votorum maiorem numerum concurritur, ad voluptuarias autem quis conferre velit, singulorum arbitrio relinquendum. Illis enim si parcitur, salva esse nequit societas, his autem si abstinetur, nihil inde societati incommodi est. Inde ibi adest obligatio, ducta e fine et incolumitate societatis, ad conferendum, ideoque in pacto socii contenta, eamque ob caussam imperio societatis subiecta; quae omnia in impensis voluptuariis contraria sunt.

Sic e. g. rapiditas fluminis ex agris communibus magnam telluris partem absedit, vt periculum sit, ne largior eius infusio, omnia submerget ac desoletur. Aggeres extruendi sunt ac vastae moles, vt cohibeatur perniciosa illuvies. Hic sane quod maiori parti visum fuerit, pauciores sequentur. At si forte nonnullis pulchrum videatur, collaudam imponere suaves aediculas, vbi incunde liceat vivere, vina gustare aut fabarum Indicarum delicias libare, cum amoenissimo virgultorum, arborum, lucorum, rerum circumstitarum coelique aspectu; tum quidem caticulam curent hi delicatuli, consideant ac suaviter potent, vtcunque voluerint, sed ab illis morosioribus lasciviae sumtus ne desiderent, cum his ad effusionem pecuniam ministrare, numquam animus fuerit.

§. 12.

Si de mutanda societate et in aliam transfundenda plerique convenerint, id paucioribus non obest, sed agitur hic ius singulorum. Nam vt ex iis, quae antea diximus, patet, imperio societatis non subiectum est, quod pacto socii non inest. Iam vero pacto socius in eum tantum finem societatis consentit, qui tempore initi pacti aderat. Non itaque de aliis finibus, sive nec de aliis societatibus ipsi in mentem venit. Inde, cum alia plane conflaretur societas, si ea, quae est, in aliam converteretur, in hanc conversionem primo pacto con-

consensisse, dici nequit socius, ideoque ratione illius imperio societatis non est subiectus.

Fac, coivisse plures in confociationem ea mente, vt coniunctim opificium aliquod exercent. Postea, cum ob bellum calamitates ars minus quaestuosa esse incipiat, taedere plerosque vitae tabernariae, sedentariae ac ingloriae. Generosius quid moliri, et patriae amore publica auctoritate praedatum exire, eumque in finem communibus sumtibus navem instruere velle. Si reliquis, socordioris ac minus ingenuae indolis, sociis ad eiusmodi consilium animus deest, plurimorum votorum auctoritate, vt novae huic societati accedant, sicutque in transmutationem priscae coniunctionis consentiant, cogi posse, non existimo.

§. 13.

Quod ad consultationes de continuanda societate attinet, distinguendum est inter societas, quarum finis in se certo tempore absolvitur, et inter eas, quarum finis in se certo tempore non impletur, sed est continuus, et hic iterum discernendum, an societas ad certum tempus pacto restricta, vel non. In prioris generis societatibus et posterioris generis quoque priori casu, ante absolutum finem vel praeterlapsum tempus quaestio de continuanda vel dissolvenda societate, modo dissolutio non cum impari dispensio fiat, a plurimorum sententia pendet, postea vero res in singulorum arbitrio posita est. In posteriori autem casu an societatem manere, an vero nuncium illi mittere velint, integrum est singularis iudicium, modo non cum inaequali reliquorum detimento seu, quod dicitur, modo tempestive recedant. In duobus enim prioribus casibus nemo in longius tempus consentit, quam vel natura rei, vel pactum continet. Inde et imperium societatis non ultra hos terminos progreditur; quare, quisnam sociorum postea adhuc in societate manere, quis vero eidem ultimum vale dicere velit, singularum est arbitrii. Ad tempus vero antecedens vallet

let pactum, inde hic merito plurimum iudicio standum est. Conditioni autem adiectae, de aequali omnium sorte, e §. 9. sua constat ratio. Casu autem posteriori, cum non ad omne vitae tempus societas, absque speciali conventione, inita dici possit, nec tamen tempus, quando societate se abdicare liceat, determinatum sit, necessario illud relictum est voluntati partium. Itaque cum hic nulla sit pacti obligatio, nullum societatis imperium, ius singulorum adest, modo itidem aequitas observetur iam excitata.

Exempla hanc in rem vita communis habet innumera. Societatem, cuius finis in se certo interiecto spatio absolvitur, videmus in iis, qui per aëstatem fructus grandiorum hortorum coemunt, et eiusmodi quaestu vitam tolerant. Horum coniunctio fine suo functa est, quando fructus omnes ex arboribus sunt decerti et divisi, aut venditi. Inter hos si quidam, et plerique forsitan, societatem continuandam censerent, quod fieri posset si pecuniam ex fructibus redactam per aliquod adhuc tempus commune esse vellent, reliqui nulla necessitate consentiendi adstringuntur, sed res liberrime ab iis aut acceptatur aut rejicitur. Posteriorum societatum exempla esse possunt, societas mercatorum negotiatoriae. Hae generatim ad quaestum tendunt, qui finis non certo termino absolvitur, sed continuo obtineri potest. Eiusmodi itaque societatem negotiatoriam, si ad certum tempus adstricta, post illud nemo, ut continuet, cogi potest. Ante terminos vero, quos posuimus, nemo mercatorum, aut rei fructuariae sociorum, pro animi libidine a societate abire solus posset. Sed hic si discedere legitime quis velit, plurimorum suffragiis dissolutionem societatis decretam esse oportet. Verum haec ipsa maiora tum non sufficiunt, si majorem iacturam faciunt, pauciores, qui dissentient, quam plures, qui dissolutionem comprobant. In societate negotiatoria indefinite contracta quilibet pro lubitu se separat. At si aliis magis id ob sit, quam recedenti, adest collisio iurium singulorum, ut patet e §. 9. Cum itaque eadem rationes cogant, ne discedatur, eademque discedendi licentiam faciant res manere debet, ita ut est, i. e. socius manet in societate.

§. 14.

Quamdiu socius societatem continuare, aut vult, aut tenetur, ratione mediorum conservandi eam et ratione eorum, si ne quibus salus communis consistere nequit, subest imperio societatis, inde hic in deliberationibus de modis conservandi societatem non utitur iure singulorum. Nam qui vult finem, vult etiam media. Inde qui pacto se ad manendum in societate adstrinxit, eo ipso societatis finem et commoda se promotarum esse, spem fecit. Quare subest in mediis, conservandi societatem, societatis imperio.

Inde si societas habet, quod ab hostibus timeat, coitur, et armis ac milite opus esse ad defendendam societatem, per maiora vota deciditur: unus alterve non posset refragari reliquis ea ex ratione, quod votis plurimis pecunia ipsi sua e loculis exprimi non posset, ad eiusmodi sumtus ferendos.

§. 15.

Sufficient haec de iis rebus, quarum e natura et indole iam patet, in iis societatis imperio non subesse singulos. Iam ad eas pedem profero in quibus id in se non patet, sed quae tam saluti communi conducere et inservire possunt, quam ab eadem esse remotissimae, vel de quibus in se terminari nequit, an ad salutem communem necessariae sint, nec ne. De his ita statuo: *In eiusmodi causis res sine exceptione ad vota maiora revocanda est, sive in deliberationibus de illis ius singulorum exerceri nequit.* Nam cum per hypothesin de re in se spectata non constet, an ad finem et salutem societatis requiratur, res necessario ad iudicium societatis redire debet. Iam iudicium societatis non potest esse paucorum intelligentia. Nam omnes in bono communi diuidicando aequo perspicaces esse censendi sunt. Quapropter si ad unam sententiam trahunt plures socii, plus id, quod sentiunt, ad salutem communem necessarium, ut creditur, ita et esse, censendum est. Plurium itaque, non pauciorum, sententia in his deliberationibus praevalet.

Lepide

Lepide Perill. ab IKSTATT Diff. de eo, quod circa concl. com. ex mai. suffrag. num. form. iur. est. c. i. §. 66. societatem singit sibi tamquam hominem moralem, cuius intellectus componitur e singulorum sociorum perspicacia, ut partibus. Iam cum id pro bono homini sit, cui intellectus plurimum accedit, eodem modo in societate boni instar est, ad quod intellectus communis plurima pars inclinat.

§. 16.

An hic vel ille contractus a societate ineundus, an ita vel alter de rebus societatis disponendum, an hic vel ille in societatem recipiendus an ejiciendus, an extra ordinem dimittendus, quisnam ad certa societatis munia eligendus, an lis de re aliqua communis in iudicium deducenda, an lis dubia prosequenda, an ab ea desistendum, etc. plurimorum votis decidendum est, nec legitimate hic quisquam opponit ius singulorum. Nam hae res omnes eius sunt indolis, cuius eae, de quibus s. praec. dictum fuit.

§. 17.

Licet in societatibus aequalibus, e duobus tantum consistentibus, ius singulorum esse, proprie dici nequeat, cum notio imperii societatis (§. 3.) in eas non cadat, tamen, quia casus §. 8 - 15. enumerati, etiam in societatibus, e duobus tantum consistentibus, obvii esse possunt, hic, quid iustum sit, determinare, abs re non iudico. Hic ita meam pronuncio sententiam: In rebus s. 8.9.11 - 14. alter sociorum alterum cogere nequit, eodem modo, quo in societatibus maioribus plures cogere nequeunt pauciores, in rebus vero, sub s. 15. et 16. contentis, licet in societatibus maioribus plures cogere possint pauciores, tamen in societate, e duabus composita, neuter alterum cogere poterit. Nam in societatibus, e binis compositis, itidem non datur obligatio sociorum, nisi ex pacto. Iam, cum res, §. 8.9.11 - 14. enumeratae, in nullius, qualcumque societatem ingredientis, pacto continantur, nec ad easdem binorum sociorum alteruter pacto se adstrinxit. Inde in

iis alter alterum cogere nequit. At vero cum in rebus in §. 15. et 16. propositis iudicij ex alterutra parte pondus sit in societatibus maioribus, in iis autem, quae e duobus constant, id numquam adsit, quia utriusque iudicium eiusdem ponderis censendum est, patet, in societatibus posterioribus nullius sententiam praevalere, siveque ad eam agnoscendam neutrui alterum cogere posse, indeque hic merito aliter calculum ponii, quam in societatibus maioribus.

§. 18,

Si disceptatio inter socios oritur, an aliquid secundum principia, quae stabilivimus, sit ius singulorum nec ne, et societas iudici subest, coram huius tribunali res componenda est; si vero societas iudici non subiecta, lis per solas rationes et argumenta, amicam compositionem et transactionem, aut vim et bellum dirimi potest. Cum enim iudici de iuribus et obligationibus subditorum cognoscere incumbat, sequitur, ut si societas iudici subsit, in litigiis sociorum finem imponere possit ac debeat. Si vero iudex non adest, quin argumentis animi permovendi sint, si que his cedere nolit praefractior socius, amica transactio ac denique visitanda sit, dubium non est.

Non possum inde adstipulari *Illustri ab OSTERHAUSEN loco saepius excitato S. i. §. 20.* qui quaestionem, an aliquid ad iura singulorum pertineat, nec ne, per vota plurima determinandum esse existimat. Ratio, cur ita censet, ea est, quoniam aliter lis dirimi non posset. Sed haec ratio a principii petitione prope abest, cum media litem sibiendi adsint, ea scilicet, quae in §. enumeravi. Sane si quaestio haec plurimorum suffragiis permitteretur, conclamandum esset de omni iure singulorum. Nam quotiescumque plurima suffragia adsint, pauciores vero contra nituntur, eam ob causam, quod hic ius singulorum agi, praedicant, si denuo in suffragia iretur an ius singulorum adsit, nec ne, non possent non iterum maiora vota adesse, quibus ius singulorum hic exulare, decideretur. Vanum itaque & inutile foret omne ius singulorum.

§. 19.

§. 19.

Possent plura adhuc in eamdem rem non incommodè dici, sed in amplius, quam praesens occasio permittit, opus argumentum excresceret. Supersedeo itaque reliquis et has modo, quas duxi, gravioris argumenti primas lineas, ut aequi bonique consultant, omnes enixissime rogo. Propero nunc ad id, ob quod omnia haec disputata sunt, scilicet, ut **VOBIS, GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI** Fridericianae nostrae **CIVES, COMMILITONES SVAVISSIMI**, meum, in posterum ad labores academicos animum appellendi, **VOBISQUE STUDIO MEO** ac opera, quantum ingenium suppetit, inserviendi, consilium significem, et ut semestri hoc instantे periculum facturo benevolè adesse et, an **VESTRO** favore ac frequentatione omnino indigus sim, benigne iudicare velitis, officiose compello. In struendis, digerendis, illustrandis ac probandis materiis nulli parcerur assiduitati ac diligentiae, non interrumpentur labores frequentioribus vacationibus, et ad temporis mensuram exacte aequabuntur omnia, ut neque ultra semestris terminos producantur, nec moleste accumulentur, nec remissius ac festinantius tractentur vergentia collegia. Methodum scient, qui, quibus Praeceptoribus usus sim, meminerint. Scilicet, applicabuntur omnia, quae **E PERILLVSTRIS CARRACHII, ILLVSTRIVM, NETTELBATTII, HEISLERI, STECKII** aliorumque **VIRORVM EXCELLENTISSIMORVM** soliditate et elegantia haurire et in succum et sanguinem vertere licuit. Destinatae autem sunt horae quatuor, ita transigendae:

Hor. 10 - II. et 2-3. iuris ciuilis ac privati pleniori ac diffusiori tractationi vacabitur. Duce sequar *Illustrem NETTELBATT in Syst. Elem. univ. Iur. posit.* in quo praemissa brevi, omnium Iurisprudentiae positivae partium *σκιαγραφία*. *Tom. I.* qui continet Iurisprudentiam posit. general. et *Tom. II. P I. L I.* qui continet Iurispr. theor. priv. polit. explicabitur, positis suo loco et cum Illustri Auctore connexis omnibus doctrinis, quae alias in

in collegiis Pandectarum proponi solent ac debent. Huius instituti ea est ratio, quod felicissime agitur, vbi cum principiis coniungitur fusior et amplior doctrina, id autem negotium plurimum habet difficultatis, vt, operaे pretium facturum mihi persuadeam, si ad hunc finem subsidio fuero, simulque tam ipsa principia, quam latiorem largioremque scientiam, explanavero.

Hor. 11-12. vacabo HEINECCI Elementis Iur. Civ. Hic nullam molitus Auctoris conversionem presso eumdem in rerum ordine sequar, quae tamen ad connexionem pertinebunt, vbiique, quantum par est, adiiciam.

Hor. 3-4. meditor Collegium Iuris matrimonialis. Hic nullum Ducem secutus, breves positiones calamis excipiendas tradam, ea ingressurus via, vt et ius naturae, et iura positiva communia omnia, addito vsu hodierno, discutiantur. Res matrimonialis, ens quasi amphibion, quia an ius civile, an ad ius canonicum magis pertineat, dubium est, separatim tractari omnino meretur, quod omnia fere iura positiva pervadit, quod in aliis materiis haud facile deprehenderis, quae ex uno aut altero iurium positivorum plerumque vnicet et primario petuntur. Non eorum tantum, qui ad Iurisprudentiam nomen profitentur, e re erit istud institutum, sed et iis utile erit, qui sanctiora Theologiae studia sequuntur, quoniam res matrimonialis princeps et vsu maxime commendabilis iuris canonici locus est. Quare virosque ad coniungendam mecum in argumento utilissimo suam diligentiam invito.

Praeterea, cum, quantum utilitatis adferat in disputando sedula exercitatio, experientia abundantissime testetur, quovis die Saturni hor. 1. in hoc quoque pulvere VOBIS, COMMILITONES SVAVISSIMI, meum commodabo studium, indeque, vt et huic exercitio non deesse velitis, rogo.

Auspicio d. 13. Octobr. 1757. et Auditorium erit in foro vetere
(in den drey Kronen, bey dem Herrn Justiz-Rath Beck.)

